

Die Urkunden Lothars II., 34

(C.) In nomine omnipotentis dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Hlotharius
divina preveniente clementia rex. Si enim dei nostrorumque fidelium cunctorum nobis
regendi officio commissorum saluti et prosperitati ex divina auctoritate
ad fidem et gloriam sui nominis providere sagaciter oportet, multo magis etiam condigne
oportet extollentia honorum ampliare, quam non solum Christi caritas, verum etiam nobis
vera nectit propinquitas. Igitur noverit omnium sanctae dei ecclaeiae nostrorumque
praesentium scilicet ac futorum fidelium nostrorum industria, quia Berta dilectissima patrui
nostrai gloriosi regis filia suos almifluae mansuetudini nostrae unaque dilectissimae nobis
Uualdradae dirigens missos deprecans pro quibusdam nostrae proprietatis sibi
convenientibus rebus. Quam ob rem pro amore ipsius dilectissimae sororis atque ad
confirmandam cum dilectissimo patruo nostro, patre suo, suaequae nobis dilectissimae
matris amicitiam sedula cooreratrix existat, hos regiae dignitatis imperavimus apices fieri,
per quos prefatae sorori nostrae Bertanae in pago Elisacensi beneficium, quod nunc
Ercengarius puer in Amalrici villare et in Sclettestat nostra liberalitate tenet, cum omni
integritate et mancipiis utriusque sexus ad proprium tribuimus atque de iure nostro in ius
dominationemque illius tradimus atque transfundimus, quatinus per hoc clementiae nostrae
praeceptum cuncta iure proprio teneat atque possideat faciatque sine cuiuspiam
contradictione quicquid elegerit vel voluerit. Et ut haec nostrae largitionis auctoritas in
posterum firmior habeatur, subter manu propria eam firmavimus et anuli nostri impressione
assigniri iussimus.

Signum (MF.) Hlotharii gloriosi regis.

Grimblandus regiae dignitatis cancellarius recognovi et (SR. NT.: *Grimblandus recognovi et subscripti*) (SI. D.)

Data XI kl. febr. anno Christo propitio regni gloriosissimi ac piissimi regis Hlotharii XIIIII,
indictione II; actum Urbam villa regia; (NT.: *in dei nomine feliciter amen*).